

IN LIBRUM OCTAVUM

E P I T O M A.

QUando pia publici aeris distributio primum instituta sit : Jaderenses quarto a Venetis defece-
re : Nova Christianorum in Turcos expeditio ,
qua , Saladino navali praelio victo , Accon a Tur-
cis recepta est : Aurellus nummus in urbe percussus est : Pi-
sani Polam subito incursum oppressere : Pola recepta , Veneti
Pisanos non procul Methone navali praelio superarunt : Isa-
chus ab Alexio fratre imperio privatus , in carcerem con-
jectus est : Christiani duces in Turcos moturi Venetias
venere : Veneti cum peregrinis ducibus in Turcos foedus
percussere : Jadera recepta est : Veneti externique duces
Alexii pueri interventu in Græciam moverunt : Veneti cum
Gallis belli sociis Byzantium expugnarunt : Alexius , Isacho
patre vita defuncto , suorum fraude oppressus est : Veneti
iterum suo & sociorum nomine Byzantium expugnarunt :
Baldoinus Flandrensis Imperator est declaratus : Veneti , ju-
re sibi Byzantii ex parte quaesito , Cretam , quo novi subito
missi sunt coloni , cum omnibus fere Ægei maris insulis suo
adjungunt imperio : Cum Genuensibus ob Cretensium motus
mari disceptari coeptum est : Cum Patavinis quoque ob in-
juriam Taurisino spectaculo acceptam prospere est pugnatum :
Coloni nonnulli ex patricio ordine Corcyram sunt missi : Hen-
ricus Imperator , Baldoini successor , ex urbe in Græciam red-
iens , a Theodoro Epirota fraude oppressus est : Damiata
Ægypti urbs a Christianis capta , ingenti eos præda &
captivorum numero ditavit .